

Bibliothèque numérique



Ballay, Jean - candidat / Disdier,  
François-Michel - président. - [De  
diastasi fibulae cum tibiâ in  
articulatione pedis]

1756.

*Paris : Typis Viduae Delaguette,  
Regii Chirurgorum Collegii  
Typographi.*

Cote : ms 2342, n°54



D. O. M.  
THESES ANATOMICO-  
CHIRURGICÆ.


I.



U M A N U M corpus vel obiter insipienti molles obviae sunt partes, quæ nec paucæ quidem nec minimæ, in ipsius structuram veniunt. Ruinam necessariò fecisset pondus suaptè naturâ iners & ad omnia prorsùs munia inhabile, nisi huic, adminiculi instar, quidpiam indidisset suprema Creatoris Providentia. Operi suo mirifice consuluit Omnipotens, ossa moli carneæ sic interserendo, ut mutuâ adunatione sibi invicem & coïrent & opitularentur. Hinc compages exitit numeris planè omnibus absoluta.

II.

O S S A igitur fulciendis defendendisque mollibus destinata, partes sunt totius corporis durissimæ, nec non sensu expertes.



2

Sua ipsorum inter se se conjunctio dupli instituitur modo. Alia videlicet cum motu coalescunt, alia vero sine motu. Disjunctionem quoque dupli ex incommodo oriri in comperto est. Licet enim apud plerosque Autores unius plurium - ve ossium ex sede naturali diductio luxationis nomine innotescat; fatendum tamen est quandam evenire ossium disjunctionem quae rectius juxta nonnullos vocetur Diaftasis.

### I I I.

Cum porro in plurimis ossium articulationibus Diaftasim fieri constet, cuiuslibet speciei enucleandae susceptio infinitum sit opus, quod nec tempori nostro respondeat, nec institutis consentire videatur. Statuemus itaque suos his- ce disceptationibus terminos.

### I V.

PRÆTERMISSIS enim variis Diaftaseon speciebus, eam unicè expendendam in medium adducimus, quā nimirūm Fibula simul & Tibia circa pedis cum prædictis ossibus articulationem diducuntur. Hujus adeò partis Anatomes prævia discussio responsionibus magis quam Positionibus elucescat. Ad ipsius-met morbi examen properamus.

### V.

PER ossis Tibiae à Surâ diductionem, et si non immerito inter diversas luxationes recensileatur, Diaftasim intelligimus. Plurimæ autem Diaftaseon admittuntur species. Modò quippe ossa sibi invicem adunata penitus dehiscunt, vel iis quas fortita sunt sedibus excidunt; quo in casu perfecta dicitur Diaftasis; modò levissima apparet diductio, unde imperfecta duntaxat efficitur. Simplex quandoque, si os unicum spectat. alias composita, si plurima diducantur, tandem complicata, ubi fractura, inflammatio, ligamentorum dilaceratio, coeteraque accidentia Diaftasis concomitantur.

### V I.

DIASTASIS causas tūm internas, tūm externas haud dissimiles iis reputamus quae luxationem producunt. Prioribus adscribenda ligamentorum relaxatio, ipsorumque paralysis ac debilitas, uberior sinoviæ accumulatio, aliud-ve ipsius vitium, su-

per veniens in ossibus tumefactio<sup>3</sup>, aliaque hujusmodi. In posteriorum classem motus violenti, nixus, lapsus, iactus admittendi.

### V I I.

DOLORES acutissimi, progressionis difficultas, imò & impossibilitas, partis augmentum ac inflammatio, tūm ipsa quoque causa sedulò & diligenter explorata, signa sunt haud ambiguè Diaftasim indicantia.

### V I I I.

QUAMVIS autem non ità pronum sit prognosim instituere, si tamen ad Diaftaseos speciem, accidentia seu jām enata, seu mox futura, ætatem ægrotantis, firmam aut invalidam ejus habitudinem, articulum morbi sedem attenderimus, majus minus-ve periculum exinde pertimescendum dignoscere erit.

### I X.

RELATAS superiùs observationes præmittere necessarium fuit, ut constaret morbi natura, quā semel perspectā, ad curationem pergimus. Primùm igitur omnium (ritè disposito apparatu) conciliandus est ægrotanti situs pro statū idoneus, & pars affecta juxta consuetam procedendi artem sublevanda. Iis demum perfectis, inferiorem Tibiæ ac Fibulæ extremitatem utrâque manū Chirurgus amplectetur, gradatâque compresione ossa à se invicem dis juncta in debitam sedem conduceat, interea dūm administro operam dante Pes in congruâ positio ne continebitur.

### X.

MULTUM quidem promoveris, ubi peracta fuerit ossium reductio; at verò supererit operis non nihil. Continenda nimirūm hæc ossa in statū naturali; quod ut assequaris, præstò sunt situs ægrotantis & fasciationes parti superinducendæ.

### X I.

QUONIAM autem sæpe numerò evenit ut æger acutissimis dolorum aculeis divexetur, operæ pretium est embrocationes & cataplasma anodina in usum vocare, non omissis tamen venæ sectionibus rariùs frequentiùs-ve, prout casus tulerit, repetendis.

## X I I.

LONGE difficiliori negotio instituetur curandi methodus,  
si forte Diaftasi supervenerit fractura. Utrique morbo providit  
ars, certasque præscripsit quibus tractari possent regulas.

## X I I I.

TAMETS i verò auxilia ex medendi fonte petita gnaviter  
& ad unum adhibeantur, erumpit nonnunquam abscessus  
quem illicò mediante scalpello aperiendum judicamus.

## X I V.

CUM autem caries, sphacelus, aliaque accidentia invitit  
cautionibus exorta, omnem sanationis spem præciderint, solâ  
amputationis ope salus ægrotanti præstabitur.

*Has Positiones, Deo juvante, & Præside M.  
FRANCISCO-MICHAEL DISDIER Artium &  
& Chirurgiae Magistro, tueri conabitur JOANNES  
BALLAY, Sanctonicus, Artium Liberalium Magister.*

P A R I S I S,  
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Sabbati 30<sup>o</sup> Octobris, à sesquiseundâ post meridiem  
ad septimam. Anno R. S. 1756.*

PRO ACTU PUBLICO  
ET MAGISTERII LAUREA.

---

Typis Viduæ DELAGUETTE, Regii Chirurg. Collegii  
Typographi. 1756.